



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

3. Castitas fugiendo vincit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tripudia, ad licentiora virorum ac juvenum consortia. Capere volunt & capi, quo reti? ait idem ibidem: *ornatu meretricio ad capiendas animas.* Poterat Daphnen à consilio virginitatis dimovere parentis auctoritas:

Sæpè pater dixit, debes mihi nata nepotes: Illa tamen casto pudore suffusa mentis altæ propositum paternis hortatibus constanter antehabuit; contrà quàm faciunt illi, illæque, quos ab integritatis proposito vox una gravior patris, aut mollior matris avertit.

Daphne tam erat amans virginalis pudoris, ut antequam eum profanaret, optaverit vel terrâ sorberi ( id quod ob fortitudinem, in Curtio juvene Romano, nunquam satis laudavit antiquitas ) vel quacunque formæ mutatione, formam, quantum feminarum bonum! amittere. Eru-beant, quibus dos una nubendi, genarum fucus.

II. (b) Ex Ovidio observa, tria maximè castitatis præsidia fuisse à Daphne adhibita:

Silvarum latebris, captivarumque ferarum  
Exuvijs gaudens, innuptæque æmula Phœbes;  
Vitta coercerat positos sine lege capillos.

Nimirum *Solitudo*, *labor*, *simplex mundities* & ornatus, tutam à Paphijs ignibus præstabant. Oculos inter plures custodire difficile est; tunc præsertim, cum procantium nobilitas, scientia, opes ( Apollinem cogita ) in conspectum veniunt. *Otiosi*, ait S. Hieronymus, de ventre, & ijs, quæ sub ventre sunt, maximè cogitant; *compti* nimis & curiosius ornati, quasi hamum capiendis animis proijciunt.

III. (c) Daphne pudicitiam suam fugiendo subduxit Apollinis libidini; qua de causa meruit in laurum converti, arborem triumphalem, ac castissimam, quæ nec frigoris, nec ardoris violentiâ se corrumpi patitur, perpetuò virens, semper illibata. Horat. lib. 2. Ode 15.

Nunc spissâ ramis laurea, fervidos  
Excludit æstus.

Eadem, ne fulmine quidem tangenda; unde Cæsares olim gestare laurum soliti. Symbolum hoc virginitatis est, de qua Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 1.

Usque viret semper laurus, nec fronde caduca  
Carpitur, æternum sic habet illa decus.

Et quænam pulchrior victoria ac triumphus, quàm qui fugâ tam gloriosa relatus est? De hoc emblemate, cum lemmate, *in fuga victoria.* Apostolus, 1. Cor. 6. quod magnus Augustinus observat: *fugite*, inquit,

A 2

forn.

(b) Castitatis præsidia. (c) Castitas fugiendo vincit.



fornicationem; at cum de cæteris vitiis vincendis loquitur, *refstite*, hortatur. Victores olim lauro coronatos fuisse, cui non constat? Virgil. 5. *Æneid.*

Sic fatus (*Æneas*) cingit viridantia tempora lauro,  
Et primum ante omnes victorem appellat Acesten.

Et Ovidius lib. 4. *Trist. Eleg. 2.*

Tempora Phœbea lauro cingentur, ioque  
Miles iò, magna voce, triumphe! canet.

Idem victrici *Daphnes* pudicitia acclamemus; quæ non modò digna est, ut coronetur lauro; sed ut tota abeat in laurum. Vivat *Daphne!* de qua nos, quod *Horatius* lib. 2. *Od. 1.* de *Asinio Pollione* *Dalmatas* triumphante:

Cui laurus æternos honores  
Dalmatico peperit triumpho.

Verramus in *Daphnen*:

Cui laurus æternos honores  
Virgineo peperit triumpho.

O nobilem ergo triumphum, nobilem victoriam, quæ tota pedibus debetur!

IV. (*d*) Cur triumphantes olim lauro coronarentur, hanc adducit rationem *Servius* ad *Eclogam 9.* quoniam, inquit, apud veteres, laurus à laude nomen habuit: nam eam *laudum* dicebant. Cur non igitur in *laurum* & *laudes* vertatur *Daphne*, cuius, ut *Poëta* canit, *sideribus similes oculi*, tantæque formæ venustas, ut *Deum* illum, quo non formosior alter in *Superis*, amore sui accenderit; & tamen illa jam tunc *Laurus*, antequam esset *Laurus*, non arserit; nec fulmine, *Cyprio*, inquam, telo, afflata aut tacta fuerit. Quin etiam jam *laurus* facta, virginis tamen sensum retinuit, nam *Phœbus*

Oscula dat ligno, refugit tamen oscula lignum. Quid mirum ergo, quòd is ipse, qui lauri hujus virorem ac nitorem violare tentaverat, victus constantiâ virginis, encomium ei cecinerit:

Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores,  
semper habebunt

Te coma, te citharæ, te nostræ, Laure pharetræ:  
Tu ducibus lætis aderis, cum festa triumphum  
Vox canet, & longas visent capitolia pompas.  
Postibus Augustis eadem firmissima, custos  
Ante fores stabis.

(*d*) *Lauream castitatis triumphus.*

Nescio